ACAD.
LUGD. BAT.
BIBL.

Vir Nobiliss. & Generose

Quod mihi in palestra musica sponte curvanti calcaria addas, exordiumq; operis mei (μὴ ἐπαυρηθὲν) timem esse notis; adeoq; rem moram nullam in me patiaris, unde malo Chronico vestigium prębetur; tantum meos conatus adjuvat, quantum nulla ex adversario superato parta victoria. Itaq; non temerè pro me fidejusseris; datumq; omnibus creditoribus fidem brevi liberaveris: si creditorem illum, qui me solvendo esse confitetur; novisq; quæstionibus, ad augendam sortem nil facientibus, indies interpellat; tua liberalissima humanitate tantisper sedaveris: donec sc Tibi, mihiq; debitorem ultro agnoscat. Sed hominem tam accuratè mihi delineasti, ut ex libellis tuis literis, præcipuè Viri Doctissimi Cartesii, clarissimè innotuerit. Solet ille mihi frequenter dicere, hominem esse omnigenæ sed indigestæ eruditionis; aliis tamen verbis; longè latèq;, sed non profundè doctum: & qui ungere potius, non pungere valeat. Sequius ergo ferenda sunt illius importunitates, quæ raro sine usura præstandi servitij obveniunt. Fatebatur istud etiam Adamus Boorolius Middelburgensis, vir trilingui, ac omnifariâ eruditione præstans: quem Mersennus ad me, ante paucos dies, miserat operis mei Musici exploratorem. Cui, licet ignoto hactenus, horulæ spatio, tantum de Scientia, & Arte Musicâ demonstravi: ut compositâ mente asseveraret, se de Musicâ tantum hactenus nec audivisse, nec legisse, nec seriâ cogitatione assecutum esse, quantum unius horulæ spatio ex me acceperat. Spondebat etiam satis in antecessum esse, unde Creditoribus omnibus abunde satisfieret. Mersennus vero paratissimum se nomine meo satisfactionem sua sponte offerebat.

Ibug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bannius) 3
http://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2256

Volebatq; de qua Mersennus quaereret, de incepto mihi — παρέργα esse. Facilè adstipulor, non quod propositas de — tractem quæstiones: sed quod rem scopo meo, totiq; Musicæ flexanimæ inutiles videam. Dabitur melius otium, quò istis propositis difficultatibus opportunius satisfacere liceat. Sed ut meos conatus in scopo Musicò plenius assequare, narrare libet, quomodo cum Illustriss. Viro Joanne Baptista Donio Florentino, Μουσικοτάτω (Sacri Consistorij Cardinalium a secretis est, cumq; ex Mersenno primum cognovi) ardua mihi quæstio est de veteri Græcorum Musicâ, quam ille restaurare conatur: nullamq; aliam possibilem autumat. XV Cantiones illi transmisi, brevemq; methodum Musicæ flexanimæ: quæ omnia cum stupore audivit, legitq. Scripsit et libras ad me, quibus ampliorem sententiæ meæ explicationem humanissimè deposcit. Vir profectò doctissimus est, & quem pro cæteris æstimo. Sed quod ad scopum flexanimæ Musicæ attinet, plurima quidem operosè et ingeniosè suo libro de Generibus & Modis congessit: Mysteria vero & abdita Musicæ non penetrat. Nam paucis ipsius principiis, unicâ demonstratione tantum evincam: quantum nec ipsi Legum; nec ex meis inferri posse unquam imaginari potuerit. Rem omnem Heroi Destutio mihi amicissimo proposui: qui post varia colloquia ante paucos menses asseverabat, morem sæculis omnibus inauditam factûrum, si Praxin illam, ex unicâ ac necessarió Systemate (Cujus diagramma etiam in libris Mersenni exstat) demonstratam juris publici foret. Sufficit mihi istius oraculi vel minimus nutus. Sed ut commodè, et ad captum omnium, ac sine præjudicio cujusq; nationis, rem inauditam insuetamq; proponam: perplacuit audire, et percontari doctissimorum virorum

opiniones: ut in antecessum sit, unde quibuslibet
actoribus, exactoribusq; satisfiat. Habes vir Nobiliss-
sime, et conatuum meorum Patronum singularissime,
quod de meis studijs, progressibusq; scire expostulasti.
Tantum superest, ut quo me, meosq; conatus, pros-
qui tuos favore, denceps promovere non am-
bigas. Vale.

Nobiliss. ac Generosæ D. T.

Servus

Harlemi IIII. Nonas Octobr. CIↃ. IↃC. XXXIX.

Jo. Albertus Bannius

1639.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bannius) 3
http://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2256

Nobilissimo
Viro
D. Constantino Hugenio
Domino in Zuilichem, Equiti,
Constiario, &c.
Suæ Celsitudinis.

ac Generoso